I. X. Θ. T. Σ.

DISPUTATIO INAUGURALIS

PRO SUMMO IN MEDICINA DOCTORATUS GRADU ejusdemq; Honoribus, Privilegiis, & Immunitatibus ſolenniter capeſſendis

CASUM GEMINUM LACTIS E VENA APERTA EDUCTI TRACTANS,

Qvam

Auſpice Divino Numine

&

DECRETO

AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

In florentisſimâ ad Albim Leucoreâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

MAGNIFICI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI,

DN. MICHAELIS SENNERTI

Med. Doct. & Prof. Publ. Experientisſimi, p. t. ACADEMIÆ RECTORIS & ordinis ſui DECANI ſpectatisſimi,

DN. Mecœnatis & Patroni, omni, qvo par eſt, honoris cultu proſeqvendi.

Publicæ φιλιατρῶν ἐξετάσει ſiſtit

CHRISTIANUS Nitzſchke / Forſtâ-Luſatus.

In Auditorio Majori ad diem 13. Januarii,

Horis ante- & pomeridianis.

WITTEBERGÆ, Literis MICHAELIS MEYERI, Anno 1670.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO
FRIDERICO VVILHELMO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO, S. R. I. ARCHI-CAMERARIO ET IN ELECTORALI COLLEGIO SENIORI, MAGDEBURGENSIUM, BORUSSORUM, JULIACENSIUM, CLIVENSIUM ET BERGENSIUM, STETINENSIUM, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VENEDORUM PARITER AC CROSSENSIUM ET JEGERNDORFFENSIUM, SILESIORUM DUCI, BURGGRAVIO NORINBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADENSIUM ET MINDENSIUM, COMITI MARCANO ET RAVENSPERGICO, DOMINO RAVENSTEINII, ETC. ETC.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

cum

HUMILLIMA SUBJECTIONE

Felicitatem perpetuam!

D. O. M. A.

Caſus.

α.

U*Xor Sutoris* in Epiſcopatu Warmienſi, *qvæ filiam pepererat, malè ſana & ante partum diu febricitans; cùm ſupprimerentur ei lochia, & febris urgeret, miſſus eſt ſangvis è pede dextro, & protinus exivit lac ex V. S.; Dubitatum eſt de pituitâ aut chyloſâ materiâ, ſed verum lac eſſe prodidit butyroſa ſubſtantia & hædinum coagulum injectum: curata qvidem à nonnullo, poſt aliqvot tamen dies mortua eſt.*

β.

Simile ferè obſervatum eſt ab Excellentisſimo D. Petro à Caſtro Profeſſore Veronenſe *in Cantabriâ in Capitanei*

Martini de Giuſtis uxore, quæ puerum lactans inciderat in febrim continuam mali moris. Ex V. S. brachii dextri merum lac exivit cum omnium admiratione, hæc evaſit, redeunte in mammas lactis copiâ quæ prius deerat. Comment. in aph. Pract.

Tractatio.

§ 1.

RAra & admiranda ſolet afferre qvotidiana praxis, ut ferme incredibilia obſerventur, qvorum cauſæ adeò obſtruſæ ſint & difficilis perſcrutationis, ut Philoſophis negotium facesſentes anſam præbeant diligentiùs in eas perqvirendi. Posſet qvis ſententiam illam Magni Coi decantatam clauſis oculis amplecti, cuncta nimirùm in corpore vivente esſe perſpirabilia, communionem unam & conſenſum unum, ut qvandoqve nullo viarum ſervato ordine, utcunqve lubuerit, posſet naturam varios & inexpectatos ſuccorum motus tentare. Rara tamen & minus freqventer evenientia non debent artem conſtituere, qvò qvidem reclamant acutiſſi nonnulli, qvos Marſennus ὁμακαρίτης chartaceos philoſophos jocans vocabat, qvoniam nunqvam ex naturæ inſpectione, ſed ex ſolis libris ſapere volunt; nec Medici eſt in illam

Divi-

Divini Senis ſententiam, qvæ multis potuit esſe pro aſylo imperitiæ, protinus irruere, ſed ipſisſima conſtitutio OBJECTI ARTIS probè cognita perſpectaq́; ſit, qvâ cauſas, origines, vias morborum radicitus pernoſcamus, cum nihil magis improbandum qvam ex rudi & erroneo fundamento aliqvid ſibi imaginari, nihil magis periculoſum, qvàm immaturam medicinam præbere teſte Senecâ.

§. 2.

Videamus ergò qvid fuerit, an merum lac, an pituitoſus albicans & minus concoctus ſangvis, an chyloſa ſubſtantia, qvod per V.S. excretum eſt.

§. 3.

Hiſtoria nos admonet experimenti, qvod factum eſt in album liqvorem immisſo, (qvi nullo pacto aliqvot horarum ſpatio cogebatur, ut proprium eſt fibroſi ſangvinis) tantillo hædini coaguli, propter ingentem ſuſpicionem, qvam color & ſubſtantia liqvoris nobis ingerebat. Nec fefellit eventus, qvando brevi ſpatio coagulatur, ſeparata nimirum ſeri lactei portiuncula, qvam certè guſtare lingva non fuisſet parvi momenti, qvod non permiſit Medicinæ dignitas aut ſtomachus : fuisſet opinior differentia inſignis inter ſerum lactis, qvod esſe ſolet dulce, & ſerum ſangvinis, qvod plerumqve ſalſedinem & amarorem præ ſe fert.

§. 4.

Non poſſum mihi perſvadere pituitoſum ſangvinem poſſe hæc ſuſtinere experimenta, qvandoqvidem ſæpius obſervatum eſt in valde pituitoſis virginibus aut pueris, educi minus colore ſaturatum, ſed albicantem & erudum, ut paulo poſt in aqva calente, ut ſolet extrahi à venis extremarum partium, condenſatus appareat & albus craſſus ovi albumini ſimilis; Unde conſtat pituitoſum ſangvinem ex ſe facilè cogi nec indigere coaguli artificio; Addo qvod pituitoſus ſangvis, qvamvis crudus & poſt horas aliqvot in vaſe aut in aqva omninò albus videatur, in exitu tamen aliqvid coloris rubri, etiamſi non valdè intenſi ſecum ferat, in qvo forſan conſiſtit paucum rudimentum caloris & ignei ſpiritus, qvo perfundi ſangvinem qvemqve neceſſe eſt, paulo poſt evanaturi; Hinc videtur eliminata ſuſpicio pituitoſi ſucci in maſſa ſangvinea ſupernatantis per V. S. excluſi.

§. 5.

Major ſuſpicio incutitur chyloſæ ſubſtantiæ, qvæ facilè à ventriculo per venas lacteas & ductus noviter inventos potuerit in Venam Cavam ferri, in qvâ propter naturæ inſignem moleſtiam & oppreſſionem ac virium jacturam vix potuerit concoqvi & in ſangvinem verti, ut ſupernatans & ſeparata à conſortio reliqvi ſangvinis per Venæ Sectionem educi potuiſſet; Hinc mihi reſpexiſſe videtur

tur *Anatomicorum princeps Riolanus* cum pag. 188. contra feliciſſimum Pecqvetum ſcribit: *dum educto ſangvine per phlebotomiam & vaſculis excepto, ſuperficies digiti minimi craſſitie albicans apparet: non tam à putredine ſangvinis naſci, qvam ab iſta chyli portione profluente cum ſangvine qvæ ſupernatat.* Enim vero illa candicans ſuperficies gelatinæ ſimilis in emiſſo ſangvine plerumqve in morboſis condenſata conſpicitur, & vidit Oculatiſſimus Bartholinus corii inſtar craſſam lentamqve ſæpè in febribus acutis. Qvis, interrogat, in chylo hujusmodi concretionem animadvertit? expoſitus aëri demptus ex lacteis chylus permanet liqvidus: In qvibus ſuperficies ſangvinis durior eſt & candicans, ſubjectus ſangvis in pelvi ſine fibris planè eſt putridus, imo obſervavit in hujusmodi ne guttulam coloris rubri. Oritur ergò à lenta pituita ſuperficies alba craſſa, qvam à chylo credimus diverſam.

§. 6.

Nos ſtatuimus cum eruditiſſimo Harvejo & aliis inſignibus Anatomicis in ſangvine conſiſtere primigenium fermentum ſangvificationis, nec in jecore aut corde tanqvam in merè efficientibus conſiſtere vim ſangvinem conficiendi, ſed in ipſo ſangvine primigenio ſpiritu impregnato & propter illum contemperato, qvi in corde tanqvam in proportionata officina hoc mirum artificium moliatur imprimendo in chyloſam ſubſtantiam ve-

ram

ram ſangvinis formam asſociatam tinctura rubicunda, in qva forſan non parum conſiſtit esſentia ſangvinis : undè, licet in corde fiat, non tamen à corde, ſed à ſangvine ſpiritu vivificato ; qvapropter fuit conſentaneum chyliferum ductum non recta in dextrum cordis ventriculum tendere, ſed potius in ramos ſubclavios venæ Cavæ, ut in eis chylus ſangvine permixtus ſimul cum veſte rubrâ rubra indueretur forma ſangvinis, in corde paulo poſt perfectionem adepturus : qvod ſi ſangvis propter ingentem δυσκρασίαν, qvæ per gravisſimos morbos ſolet ſuccedere, non potuit intimè amplecti advenientem chylum aut in proprio ſinu fovere, fit inde perniciosa ſupernatans materia, qvæ totam ſangvinis circulationem ſeqvitur per arterias & venas facta propriarum partium nutritione & malè ubicunqve celebrata concoctione.

§. 7.

Sic certè evenire potuit in hac ægrotante, qvæ cum lethaliter ſe haberet, & inſignis adfuisſet ſpiritus primigenii & humidi radicalis jactura, necesſario ejus ſangvis pesſime inqvinatus esſe debuit, â qvo chylus non potuerit recipi, nec recipere concoctionem aliqvam : unde cum ipſo ſangvine fluente per univerſum corpus circulariter & ipſe permixtè excurreret, non ſecus ac ſi qvis pingvia & oleoſa aqvoſis jungat, vix posſunt intimè commiſceri niſi ſpecifico qvodam copulentur medio disſolven-

ſolvente ; ſit exemplum in Terebinthina, qvæ nullo pacto aqvoſis liqvoribus valet commiſceri, niſi interveniat luteum ovi pro diſſolvente unico, ſic in unum & æqvalem liqvorem convertuntur.

§. 8.

Non ſecus ſangvini accidit, qvi, ſi deſtituatur ſpiritu illo diſſolvente (qvi non malè per luteum ovi valdè ἀνάλογον ſignificatur) vix cum materia aqvoſa exterius adveniente uniri poteſt impediente unionem excrementitiâ & uliginosâ pingvedine, qva perfundi ſolent liqvores evanidi, ut in vino ſæpè obſervatur, unde ex his experimentis posſet ſtabiliri, fuisſe chyloſam ſubſtantiam, qvæ per V. S. inſtar lactis extracta fuerit huic ægrotanti, hoc unicum duntaxat videtur obſtare, nondum ad incudem experimenti redactum, an chylus appoſito hædino coagulo cogi posſit more lactis, qvod certè perdifficile eſt ſtatuere, nec niſi αὐτοψία affirmandum, qvare in hac dubitatione de lacte qværendum eſt & inqvirendum, qvomodo & qva via fieri potuerit, ut per venam ſectam in iſtis mulieribus educi potuerit eliminata jam omni vel pituitæ vel chyli conſideratione.

§. 9.

Videntur argumenta promoveri à ſtatu ægrotantium, qvarum altera erat enixa, altera erat lactans ; in qvibusdam exuberat lac & non ſemel

etiam ab obſtetricibus & mulierculis obſervatum eſt, per ſeceſſum commota alvo excerni in enixis lactis copiam ; & *Laurentius l.* 2. *Anat. qvæſt.* 10. teſtatur ſe vidiſſe qvamplurimas puerperas per Uterum & Veſicam maximam lactis copiam excreviſſe : unde nec de via adeò labyrinthea tàm eſſet ambigendum, cùm omnia ſecundum Medicorum Principem Hipp. ſint in vivente perſpirabilia & præterea *in libr. d. nat. Puer.* videtur ſentire, lac in uterum confluere & promoveri ad mammas compreſſo ab utero gravido & tumente ventriculo, ita ut eo compreſſo conſeqventer comprimantur ſcapulæ & muſculoſæ carnes per qvas deferatur chylus in mammas, ibi ulteriorem coctionem & formam lactis adepturus. Sententiam Magni Coi hactenus derelictam, nuper defendendam ſuſcepit *Gvil. Harvejus de generat. animal. exerc.* 57. pluribus rationibus. Viæ autem iſtæ adeo ſalebroſæ & inviæ vix admittuntur ab Anatomicis, nec inveniunt rationem, qvâ ducatur chylus per compreſſionem in mammas, nec è mammis lac iterum in venas regurgitet refragrante omninò & motu ſangvinis & valvularum ordine.

§. 10.

Statuendum potius judicio meo totum cardinem hujus difficultatis conſiſtere in ſangvinis aut ægræ diſpoſitione, qva poſſit advenientes ſuccos vel amplecti & tingere, vel reſpuere in neglectam

ſupernatantem materiam, & eo pacto, qvo chylus non poteſt ad ſangvificationem admitti, ſic neqve lac; qvod ſeqvitur ipſam circulationem, poteſt in mammis retineri. Facto igitur in mammis lacte propter glandularum imbecillitatem & retentricis jacturam, nec propter ſangvinis male affecti & peſſimè coinqvinati concitatiorem motum, fit, ut lac poſt ſangvinem rapiatur, nec tamen cum ipſo uniri posſit, & qvia in mammis non poteſt perfici, niſi in vaſis ſit aliqvod fermentum ad ejus perfectionem eo modo, qvo ſangvis ille fermentans circulum facit ab arteriis in venas ſecum pariter ducit lac inibi confectum, nec valens in mammis conſiſtere ob dictam imbecillitatem, ſed rapitur in circulationem, ut facilè posſit per V. S. educi omninò immixtum ob inqvinationem & δυσκρασίαν ſangvinis. In iſta muliere, qvia δυσκρασία erat inſignis & nimia, non potuit ſuperſtes remanere; altera verò lactans, qvæ minori noxa tenebatur, potuit evadere.

§. 11.

Lac qvoqve ex ſaphæna eductum Oculatisſimus Bartholinus obſervavit in puella ſuppresſione menſium laborante; *Alias*, inqvit capite 13. de lactarum thoracicarum uſu, *viſum nonnunqvam lac ex venis brachii ſectis prodiiſſe. Sæpius in ſangvine per V. S. exhauſto, alioqvin bono, vidi ſerum lactis inſtar. Puellæ Haffnienſi ſupreſſione menſium laborantipau-*

ti paucis abhinc annis ſvaſi ſaphænæ ſectionem conſveto menſtruorum tempore intermedio vero cubiti. Poſterius conſilium anteqvam exſeqveretur puella, lac, ſolitas delitias, hauſit. Unde loco ſeri in ſangvine lac conſpiciebam, qvod qvidem pro putrido ſangvine interpretabar primum, mox ſententiam mutavi, qvum nihil gravius experta puella optimè convaluerit. Semper itaqve lac iſtud ſecta vena in pelvi conſpicuum à putridis humoribus diligenter eſt diſtingvendum, qvi ſæpè ſæpius lactis ſpeciem referunt & calidi nativi extinctionem pariter notant, ut præter alios annotat *Fr. Joël. l. 5. 4. Prax. ſect. 5. Diligentiſſimus Highmorus l. 2. Diſq. Anat. p. 1. c. 3.* in diſſectione canis gravidæ ac viventis vidit, qvum venam ſine pari, in qvam ſe exonerant intercoſtales, aperuiſſet, lacteum qvendam humorem ſangvine mixtum ab intercoſtalibus effluxiſſe ſuſpicatur. Qvicqvid tandem ſit, verum lac fuiſſe, butyroſa ſubſtantia non minoris momenti eſt, qvæ obſervata à ſero & caſeoſa ſubſtantia facilè ſegregari poterat, hæc omninò omnem dubitationis rationem evincit, nullum certè hàc certius & infallibilius lactis ſignũ ipſe liqvor extractus præbere potuiſſet.

§. 12.

Superſunt autem adhucdum nonnullæ difficultates examinandæ, & præcipua eſt, cur ſolum lac per phlebotomiam exierit, nulla vel minima ſangvinis rubicundi guttula apparente. Primùm

an

an nullus in venis ſangvis inveniebatur, ſed ſolum lac? Deinde an natura propriæ conſervationis provida in ultimo deliqvio ſangvinem intus retinens asſervaverit tanqvam unicum vitæ inſtrumentum, relicto ſupernatante lacte qvod efflueret?

§. 13.

Primum ſanè non videtur admittendum, neqve videtur conſentaneum nihil prorſus ſangvinis rubicundi in homine inveniri perſeverante vitâ; ſecundum potius tenendum eſt, providam videlicet naturam pro munimento asſervasſe tenaciter reliqvum ſangvinis ad reſiduum vitæ conſervandum; Nec esſet præter rationem pro hac difficultate ſic de ſangvine ſtatuere, procedere ſcilicet ejus generationem per ulteriores gradus, & ſemper ex tenuiori & potulenta chyli portione fieri lac, non ſolum in gravidarum & lactantium mammis, ſed ubicunqve venarum accipere lac primum ſui rudimentum, mox ex ipſo per ulteriorem gradum caloris fieri ſangvinem, mox ex horum efflorescentia fieri ſeminale qvoddam principium per totum ſangvinem diſperſum, unde cum Hippocr. rectè tenuerint Veteres & Recentiores multi, ſemen materialiter à ſingulis partibus decidere, ita ut in masſa ſangvinis (relicta qvatuor humorum communi partitione) non ſecus qvam in lacte tres ſubſtantiæ ſegregatæ inveniantur, qvamvis pur-

 pureo

pureo ſolius ſangvinis indumento & tincturâ veſtitæ, lactea nimirum, qvæ reſpondeat ſero, ſangvinea, qvæ caſeo, & ſeminalis, qvæ butyro, ut in ſangvine per totum corpus diffuſo & in ejus ſpiritu inſito tanqvam in vitali principio adſit ſemper facultas lac, ſangvinem & ſemen conficiendi, ut ſenſim lac ex præſuppoſita chyli tenuioris materia fiat, ex eo ſangvis, ex amborum cremore ſpumoſum ſemen per ſolos gradus caloris continuâ circulatione excitatos & conſervatos absqve nova aut generatione aut corruptione formarum ſubſtantialium.

§. 14.

Hac itaqve ratione non erit mirum poſſe in qvacunqve venâ corporis inveniri lac & exire per ſectionem, qvod propter caloris innati & ſpiritus inſiti defectum (qvod per morbos gravisſimos & lethales evenit) non potuisſet perfici in ſangvinem aut tingi illius tincturâ labente jam ſangvifica facultate. Fieri tamē aptius & freqventius lac in uberibus tanqvam in propriâ & à naturâ deſtinatâ officinâ, in qva proprius gradus caloris lactificus expresſius reſideat, & glandularum laxior poroſitas & copioſior proventus chyloſæ ſubſtantiæ ad eas deferatur, qvæ omnia reqviri videntur ad integram & perfectā lactis generationē. Sic in corde & prope cor in ramis ſubclaviis amplioribus expresſius generatur ſangvis ex chylo paulò crasſiori, lacteam conſiſtentiam &

natu-

naturam jam referente, & in iis recipit primum rudimentum tincturæ, qvod ſenſim usqve ad ſiniſtrum ventriculum cordis in purpureum ultro perficitur, ita ut pulmones, qvi per venam arterioſam & arteriam venoſam ſangvine diluto & qvaſi lacteſcente, & minus adhuc colore ſaturata nutriuntur, colorem adepti ſunt, & ipſi ſatis dilutum & ex rubro albicantem multò inferiori tinctura, qvam reliqvæ carnes, qvia ſangvis, qvi fuit ipſis in alimentum, nondum ulteriorem gradum acqviſiverit.

§. 15.

Cùm itaqve non ſufficiat noviſſe conſtitutionem corporis cauſamqve morbi, niſi etiam vires & juvamentorum ſciverimus, operæ pretium erit, præmiſſis his omnibus pro rara hâc obſervatione diſcuſſis, aliqva qvæ ad curationem tàm pravi habitûs facere potuiſſent, examinare.

§. 16.

Proponitur primò mulier malè ſana; Deinde qvæ filiam peperat, vix enim aliter evenire poteſt, mulieres cacochymas & qvæ plurimis & diverſis ſcatent excrementis, ut plurimum fœmellas gignere compertum eſt, ut apud *Hipp. 7. Epid.* Harpalidæ ſoror. Præterea qvod febricitaverit diu ante partum putreſcentibus utiqve pravis excrementis. Tandem qvod lochia ſupprimerentur; ſufficiebat hoc unicum pro inducendo morbo graviſſi-

viſſimo & acutiſſimo, & eqvidem judicandum eſt, febrem, qvę poſt partum urgebat, omninò fuiſſe diverſam ab eâ ante partum, & à novâ & validiſſimâ causâ traxiſſe originem, unde & principium morbi à die partùs veniebat numerandum, qvæ aliter in prægnantibus & producto morbo ultra partum à primâ invaſione debet numerari : Hoc tamen fit, qvando unus eſt morbus, veluti ſi febris acuta per aliqvot dies ante partum inceperit, & poſt partum eadem adhuc perſeveraverit ; ſi verò diverſæ fuerint febres, aut diverſi morbi, unusqvisqve ſuos habebit dies criticos.

§. 17.

Prior febris in hac muliere erat ſignum pravæ diſpoſitionis, & qvia perſeveraverat, fuerat qvidem introducta in univerſo ſangvine vel ingens ſupernatans materia vel inſignis imbecillitas & tandem ingens ad extremam putredinem diſpoſitio. Si poſt partum purgationes rectè proceſſiſſent, potuiſſet ſangvis rectè expurgari & dari locus auxiliis, qvæ omnia debuiſſent conſiſtere in alexipharmacis ſudoriferis, qvibus pravi ichores & impurus ſangvis expurgaretur v. gr. Eſſent. Coralliorum, magiſt. viperarum, lap. bezoar, ☉ ſpiritu ⊖ diſſolutum &c. has intentiones optimè adimplere poſſent, ſed multo melius, ſi prius apozemate aliqvo ex cichoraceis, borragine, bugloſſo, lupulis, aſplenio, adiantho & ſimilibus ſangvis emungeretur.

§. 18.

§. 18.

Ante partum potuiſſent immiſceri prædictis per intervalla purgantia qvædam, ut dilutum carthami, ſennæ, polypodii, agarici, rhabarbari, item manna calabrina depurata & ſimilia pro idea peccantis ſucci, at poſt partum purgantia utplurimum ſunt ſusſpecta; ſi verò rectè præparatis ſuccis poſtmodum exhibita fuisſent prædicta ſpagyrica, absq; dubio crediderim febrim disſipatam iri.

§. 19.

Sudorifera præſertim hoc in caſu magni fuisſent momenti, & omnium præſtantisſimum nobis verò inuſitatum & minus cognitum auxilium in febre diuturna prægnantium cacochymarum commendat *ingenioſiſſimus Th. Willis, cum Excellentisſimo Petro à Caſtro*, qvod eſt infuſum tophi cervicapræ in aqva meslisæ, borraginis, aut ſcorzoneræ exhibitum, vel infunditur tophus integer & pro hauſtu exhibetur aqva, qvæ redditur amariuſcula, vel pulvis ſubtilisſimus ad ſcr.j aqvæ immiſcetur; ſimiles facultates videtur habere bezoar lapis orientalis, & apud Indos & Europæ primates infuſio lapidis Malacenſis ex Hyſtrice, ſed longe ſuperat in hoc caſu prægnantium jam laudatus tophus Cervicapræ; Habent enim hæc animantia cum damis & cervis affinitatem, ut in prægnantibus & parturientibus miros effectus pariant medicamenta ab eis excerpta, qvod in hyſtrice, capra bezoartica (Qvaſuma) Viperis & ſimilibus vix invenitur: *referente Petro à Caſtro l.c.* Nos autem in noſtris officinis ſubſtituimus lap. bezoar orientalem, qvi in prædicto animali jam in proventriculo jam in ventriculo aliisq; internis cavitatibus reperitur, nec minorem adſcribimus efficaciã. *Vid. Schröd l.5, claſſ.1. de animal. p. 277.*

§. 20.

Pro ſecunda febre acutisſima ex uſu fuisſent (non

C qvi-

qvidem evacuantia ſuſpecta ſemper in partu, & in graviſsimis cacochymis pernicioſa) enemata blanda ex coctis herbis qvæ retenta lochia promovisſent, qvalis mercurialis, melisſa, nepetha, artemiſia, aliaqve menſes promoventia, ex qvibus & pesſaria potuisſent efformari; mirum in modum valet ſuccus mercurialis, aut ipſamet herba contuſa & ſucco cyclaminis mixta ad uterum expurgandum à putreſcentibus mucoribus. Veſicantia coxis & tibiis affixa evacuationis vicem ſupplevisſent, absq; virium notabili jacturâ, qvæ abaliis evacuationibus purgantis medicamenti aut educti ſangvinis in præceps esſent ituræ, nihil certè pernicioſius ſangvinis misſione in extremis cacochymiis, per qvas ſangvis crudus, imperfectus & utplurimum lacteus exiſtit, qvi ruinam extremam minatur ægrotantibus, ut huic mulieri.

§. 21.

Alteri verò lactanti non ita evenit, qvia vires non erant fractæ doloribus partus, nec prius malè ſana tam diu fuerat, qvapropter etiamſi ſangvis extractus lacteus apparuerit, non tamen obiit, qvia vires erant robuſtiores, & iſta differentia absqve dubio ſtatuenda eſt. Huic nimirum qvæ evaſit, cauſam fuisſe motum concitatisſimum ac violentisſimum circulantis ſangvinis propter ardentisſimam febrim, à qvo raperetur in gyrum lac qvod in mammis coacervabatur, ut dictum eſt. Illi verô, qvæ extincta eſt, non adeo violentum motum ſangvinis, cum febris non esſet adeò ardens, ſed potius malignitate ſuperans, & vires esſent ad ultimum fractæ, propter qvod facultas ſangvifica in ipſo ſangvine deficiebat, remanente tantummodo pro lactis rudimento.

Tantum.

Præcellent. & Clariſſimo

DN. CHRISTIANO NITZCHKIO,

MEDICINÆ DOCTORANDO MERITISSIMO

Supremam Cathedram conſcendenti ac pro ſummis in Medicinâ honoribus publicè diſputanti

FELICITER!

***

ESt promenda foràs merces pretioſa, nec unqvam
Multum æſtimatur, qvod latet:
Hæc TIBI conveniunt: & dum tua munera larga
AMICE, prodis ingenii;
Gratulor ex animo de donis Indolis almæ,
Tibiqve fauſta comprecor!

Qvod gratulab. deprop.

Michael Sennertus, D.
h. t. Acad. Rector.

Viro Præcellenti eruditione, atq; Experientiâ Clariſsimo

DN. CHRISTIANO NITZCHKIO,

Medicinæ Candidato eximio, pro conſeqvenda Licentiâ asſumendi gradum Doctoratus, ſolemniter diſputaturo,

Domino Amico, & Convictori colendo.

***

DAt Galenus opes, dat Juſtinianus Honores:
Non *excluſive* dicta putanda velim.
Nam Tibi decernit meritos *Galenus Honores,*
Nec propriæ deerunt, qvas dare Svevit, *opes.*
Qvid! num *Juſtinianus opes* non donat? *Honores*
Num confert ſolos! Id ſecus orbis habet.
Annon ad ſummos etiam conſcendere *Honores*
Galenus multos fecit, ut ære graves!
Sint TIBI præſentes NITZSCHKI, qvos donat, *Honores*
Omina majorum. Non deerunt & *opes.*
Fallere priſca neqvit ſententia. *Proſpera qvæq;*
Ceptis præclaris ritè vovere meum eſt.

Gratulabundus fac.

Abraham Calovius D. Profeſſor Primarius, Paſtor, Conſiſtor. Eccleſ. Adſeſſor, & circuli Electoralis Superintend. General.

C 2 Multa

MUlta fovet *Natura* ſuis *Myſteria* clauſtris,
Qvæ ſine *ſcrutinio* tradere nemo poteſt.
Pulchrum *Naturæ* ſtudiis *Myſteria* noſſe,
Multis exornant hæc *Sapientis* opus.
Dicitur *ingenium prænobile*, qvod *ſcrutatur*
Hæc *arcana* diu ſedulitate Viri.
Sæpius at multis non *proſunt abdita rerum*
Propria, ſicqve parum *commoditatis* habent.
Sed *Medicis prodeſſe* qveunt *Myſteria* tanta
Naturæ, diſcunt *Hi* bona amore boni.
Omnia convertunt in noſtri *corporis uſum*,
Ut ſervent homines *corpora ſana* diu.
Talia demonſtrat *labor* hic, DOCTISSIME FAUTOR,
Dum de *Venarum Lacte* notanda moves.
Hæc Tibi felici ſuccedant ſidere, multum
Atqve *Tibi* atqve *aliis utilitatis* agant.
PRUSSIA *ſcrutinium* miretur adusqve *laborum*,
Et *Honor* inde tuus multiplicetur ibi.
Commoda ſanandis, præſentia *pharmaca* morbis,
Hic *labor* usqve ferat! SIS MEDICUSQVE BONUS!

Experientiſſimo, Peritiſſimoq́;
DOMINO CANDIDATO
hæc gratulationis ergo
ſcr.
Johannes Deutſchmann/ *D.*

DAt Galenus opes, confert Galenus honores.
Scilicet eſt Medicus nobis venerandus & omni
Carior argento, nec non pretioſior auro.

 Præter

Præter opes igitur voveo tibi, FAUTOR, honores
Qveis te jam mactat dignè Witeberga celebris.

Clariſſimo Domino Candidato ita de novis honoribus Doctoralibus propediem conferendis gratulabatur

Werner Theodorus Martini, D.
Pand P.P. ſer. Elect. Saxon. Conſilar. Cur. Provinc. & Conſiſtor. Eccleſiaſt. Aſſeſſor.

JAm tandem Cathedram, Clariſſime NITZCHKE, Galeni
Aſcendens doctè digna labore doces.
Hunc cordis meritum defundo grator honorem,
Atqve precor paucis; commoda mille ferat!

Johannes Strauch, D.

Ad
Præcellent. & Clar.

DN. LICENTIANDUM

Convictorem ſuum
COMMENSALIUM CALOVIANORUM
Elegidion.

JUrgia ſeptem urbes inter non parva fuiſſe
De Sene Mœonio, Græcula turba refert.

De

De te non urbes; regio non unica de Te
Regnaqve ſunt lites dicta movere graves.
Præ reliqvis Luſata tuos ſibi vendicat Ortûs,
Et patriâ ſeſe ditio jactat humo.
Pergama ſic civem tollunt generoſa Galenum,
Cousqve Hippocratis laude ſuperbit ager.
Mox hirqvis vicina tuens Sileſia limis
Jam cupit eſſe ſuum, jam putat eſſe ſuum.
Ipſa adeò blando Te Beltica prolicit unda
Murmure, Te Cimbros mallet habere ſuos.
Fallor, an inſanis qva ſeſe ſurgit in auras,
Intentatqve polo, molibus, alta minas
Haffnia, Te celſis audet præferre Coloſſis,
Bartholinum in Te viſa videre novum.
Nulla æqvè ac tellus nectit tibi Bruſſica palmas,
Nulla æqvè totum poſtulat una ſibi
Eſſe ſuum, reliqvis adeò qvod poſceris, inqvit,
Qvod reliqvis placeas omnibus, eſſe ſuum,
Delius eligitur medicæ pater, arbiter, artis,
Qvælibet hunc litem compoſuiſſe jubet
Si noſtrum arbitrium eſt, ait, & ſi judice judex
Dardanio vobis juſtior eſſe pudor:
Pruſſiacis debetur agris. Fac, patria vitam,
Nec reliqvæ dederint forſitan, eſto, parum.
Aſt totum Pruſſis ſemet debere, fatetur.
Pruſſia qvæ Medicum fecit, habeto qvoqve.
Pregela Caſtaliis ubi miſcet fontibus undas,
Regalisqve meo vertice certat apex,
Hîc qvot ab arte meâ vidi immaduiſſe per annos!
Qvot mea per noctes immaduiſſe ſoror!
Progeniem ſic ipſe olim, Chirone magiſtro,
Poeoniâ memini tingier arte meam.
Ito ergò, atqve tuis Epidaurius eſto Boruſſis,
Omneqve morborum ſub ſtyga mitte genus.

Acci-

Accidi ſua lucra gemat Libitina, ſenexqve
    Torpeat auſpiciis navita porro tuis.
Non eqvidem reliqvis juſtam, non denego laudem
    Eſt aliqvid, celebres progeneraſſe viros;
Qvis laude hâc patriam privet? ſed tu qvoqve laudis
    Sleſia particulam, Dania carpe tuam.
Non ulli invideo. Vel qvæ ſub Saxone tellus
    Surgis, (nec laudis portio nulla tibi:)
Accipito & doctu ſpectatrix provida pugnæ
    Laureolam nato necte beata meo.
Dixerat. At juſſis parens Witeberga, corollis
    Vincire emeritis tempora docta parat:
Dum qvantum valeas, acri certamine monſtras,
    Qvanta artis Pruſſis ſpes qveat eſſe tuæ.
At nos, qvos Magni tecum menſa una Boruſſi,
    Qvos tanti pietas Hoſpitis una cibat:
Victrici Witeberga ligat dum daphnide crines,
    Hæc velut è vili gramine ſerta damus.